





ORDINIS JVRIDICI  
IN  
ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA  
*b. t.* DECANVS  
**FRIDRICH GOTTLIEB**  
**STRUVE, D.**

REGIÆ CELSITUDINIS SLESVICO HOLSATICÆ CONSILIA-  
RIVS, JVRIS CANONICI, PANDECTARVM AC PRAXEOS  
PROFESSOR ORDINARIVS,

DISPVTACTIONEM IN AVGVRALEM  
*VIRI PRÆNOBILISSIMI AC CONSULTISSIMI*  
**GEORGII FRIDERICI JASTERI,**  
ELECTORALIS DICASTERII HILDESIENSIS  
ADVOCATI,

DE  
**APPELLATIONE AB EXE-  
CVTIONE REI JVDICATÆ**  
PRO GRADV DOCTORALI ET SVMMIS IN  
VTROQVE JVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
OBTINENDIS

AD DIEM II. AVGUST. ANNO M DCC XXVII.

*HORIS LOCO QVE CONVENTIS  
SOLENNITER HABENDAM*

*PRAEVIA DECENTI INVITATIONE INDICIT.*

*de executione extra portum.*  
**KILONII,**  
LITTERIS JO. CHRISTOPHORI REVTHERI, ACAD. TYPogr.



aradoxon quidem juris esse videtur, Executionem  
citra processum assertere; cum naturalis & civilis  
ratio præcipiat, ut, antequam executio fiat, præ-  
cedat legitima causæ cognitio, feratur sententia  
condemnatoria, & tunc demum ad judicati exe-  
cutionem perveniatur. *tt. Cod. de rei jud. execus.*

Attamen potest aliquando evenire, licet ac jure executionem fieri, sine prævio processu, imo quandoque necessarium esse, sine strepitu forensi, ac sine servato ordine judiciario, ad finem intentionis suæ & vindicias competentis sui juris procedere.

Justissima siquidem est parata executio, absque arribuis causarum processibus, quando id, in causis *celerrima expeditionis*, statutum aut consuetudo fori recepit, vel debitoris voluntas & conventio tribuit, aut causa omnino liquida, aut possessionis vel detentionis clypeus suffragatur, vel quando retorsio taliove ob denegatam iustitiam facti modos porrigit. Præterea etiem necessaria est parata executio sine prævia solemnitate processus, si vel ob moram, vel ob malitiam, ob præsentem sive metuendam fugam aut debitoris inopiam, vel etiam ob armorum turbarumve inter contendentes formidinem prævenienda sunt damna aut mala, quibus post vulneratam causam frustra quererentur remedii; Ut bene monet Mevius de Arrest. Cap. I. num. 4. 5. 6.

Exempla hujus executionis specialia contingunt, tam circa personas quam circa res, in causis non minus civilibus quam criminalibus, tam in judicio tam extra judicium, pro diversa nimis actuum ac circumstantiarum qualitate.

Notabile, quoad judicium, exemplum ponit Carpzovius *Part. I. Conf. 16. def. 28.* in eo, qui in conspectu judicis, pro tribunalii sedentis delinquit, potest enim judex tale delictum, se præsente commissum, absque omni ulteriori processu coercere, atque injuriam forte in judicio sibi, tanquam judici, illatam in continenti vindicare, arrestatione, multæ dictione vel aliis modis.

Huic proximum est illud, quo tradunt Ddres: Quod in *notorio*  
*omnis*

omnis solemnitas juris communis habeatur remissa, ita, ut conveniat judicii, magis exequi quam cognoscere, & ita paratissimo auxilio iustitiam adjuvare Gail. Lib. I. Obs. 39. num. 3. Idque pariter in criminalibus procedere, declarat Pontifex in cap. 9. X. de accusat. ibi: *Evidentia patati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Quod etiam innuit Ambrosii dictum apud Gratianum in can. 15. Caus. II. Ques. L. verb. *Manifesta accusatione non indigent.* Add. cap. 17. eod.

Permititur autem tale genus executionis vel circa personas vel circa res. Illud contingit in ejusmodi casibus, quando ob notorictatem facti vel ad praecavendum reip. periculum, vel ob aliam justam causam cuilibet privato exercitium publica vindicta ac protectio salutis publica committitur, uti recte notat Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. cap. 20. §. 17. Rationem hujus asserti optime expendit Henniges in Not. ad Grot. d. l. verb. *Possunt sane quandoque utilitate publica sic suadente, etiam privati executores iustitiae dari, neque has leges injuriam continere arbitror.* Non videtur legislator, dum marito & patri adulterorum occidere permittit, soli eorum dolori indulgere, sed & eadem constitueret ad exequendum homines maleficos, qui sceleribus pœnam & supplicium ultimum commeruere. Idem dicendum de militibus populatioribus: Si queris, quænam inde utilitas in publicum redundatura sit, respondeo, vix quenquam adeo mitis & mansueti ingenii esse posse, ut ab adultero cum uxore vel filia deprehenso manus abstineat. Quare ne hoc modo peccet, sibi arrogando, quod publico ordini debetur, constituitur a republica executor adulteri, & sic non suo nomine, sed permisso & auctoritate publica occidit.

Hoc ipsum vero jus permisæ privatæ executionis sine processu fit capiendo, arrestando aut etiam occidendo personam in actu ipso sive flagranti ut vocant, deprehensam; & quidem in continentis. Uti de jure occidendi adulterum & filiam adulterantem permisso extat Lex Julia, & notat l. 23. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de adul. ibi: *Quod ait Lex in continentis filiam occidat, sic erit accipiendum, ne occiso hodie adultero, reservet & post diu filiam occidat: vel contra, debet enim prope uno ictu & uno impetu utramque occidere.* Pariter & mariti jus occiden-

di adulterum restringitur ad hoc tempus, quo ipsum in actu ipso deprehendit, ita ut possit occidere statim sine implorato magistratus auxilio, aut habita ulteriori causa cognitione l. 24. ad Leg. Jul. de adult. Conf. Mæstert. de Justit. Leg. Rom. Lib. II. dubit. 13.

Similem speciem paratisima executionis citra processum deprehendere licet circa personam transfuge, juxta l. 3. §. ult. ff. de scac. Idem jus in militia desertorem & nocturnos agrorum populatores, & quidem illico ac velociter exercendum privatis pariter ac magistratu committitur per l. 1. Cod. Quand. lic. unic. fin. jud. ibi: Liberam resfendi cunctis tribuimus facultatem & quicunque militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequentata insidiis agressione objecerit, permissa cuicunque licentia, digno illico supplico subjugatur, ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id, quod intendebat, incurrat. Melius enim est, occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. Nimirum est illa publica ultio pro salutis communis quiete indulta, ut loquitur l. 2. Cod. d. t. Nec enim certe magis quidquam potest refrænare improborum homirum licentiam, quam si sciant, se cum suis ausibus paratam habere conjunctam vindictam, cum e contrario, longinquæ poenæ executio, spem ipsis elabendi & frustrandi judices, eosdemque ita magis audaces atque effrenes faciat. Add. Struv. de Vind. priv. Cap. II. & seqq.

Nec tantum salutis publicæ ratio tales executionem sine prævio processu permittit. Verum etiam privati juris commoda tale quid quandoque concedunt, si forte judicis copia haberi non possit, & quis in periculo amittenda rei sua versetur. Insigne hujus exemplum exhibet l. 10. §. 16. ff. de his qu. in fraud. Cred. ubi creditori permittitur debitorem cum pecuniis aufugientem persequi, eidemque debitum suum, modo sit verum ac liquidum, propria auctoritate, citra implorationem judicis aut processum auferre, adeo, ut propterea in poenam L. Extat. 13. ff. quod met. caus. non incidat. Potest enim recte cum Cujacio dici; Creditorem, tali casu, magis necessaria quam libenter, magis coacte quam civiliter vim fecisse. Lib. XVI. Obs. 19. Conf. Hillig. in Donell. Lib. XVII. Cap. 2. Litt. N.

Uti

Uti circa Personas, ita multo magis circa Rss licet quandoque ad executionem procedere sine processu, ita nimis ut pro iu-  
enda ac defendenda rerum ac jurium nostrorum possessione, possimus, non implorato judice, citra praecedentem cognitionem aut exspectatam judicis iussionem; in continenti, illum, qui nos prius de posses-  
sione expulit, rursus dejicere, & possessionem ablatam recuperare. In quam rem loquitur clarus textus in l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. ibi:  
Eum, qui cum armis venit, possumus armis repellere, sed hoc confessim non ex intervallo, dummodo sciamus, non solum resistere permisum, ne dejiciatur, sed eti<sup>m</sup> dejectus quis fuerit, eundem dejicere, non ex inter-  
vallo, sed in continenti. Cujus decisionis ratio redditur in l. 17. ff. d.t.  
Quia, qui possessionem vi eruptam in ipso congressu recuperat, in pristi-  
nam causam reverti potius, quam vi possidere intelligendus est: Cum quo  
etiam concordat placitum Juris Canonici in cap. 12. X. de restitut. spoliat.

Ex pari defensionis jure fluit etiam illud; Quod si quid in nostro  
vi aut clam fuerit positum, possum idem, non expectata judicis sententia,  
illud rursus vi aut clam destruere, juxta l. 7. §. 3. ff. Quod vi aut clam.  
Referri quoque huc potest; Quod si quis in meo fundo, citra servitu-  
tem foderit aqua ductum, propria auctoritate illum intercidere possum,  
ita ut non opus habeam prius interdicto experiri l. 29. §. 1. ff. ad Leg.  
Aquil. Add. Speckhahn Cent. III. Class. 3. quest. 23. num. 38.

Non minus etiam privata conventione facultas esequendi & ca-  
piendi jus, quod sibi debetur, concedi potest; Cujus insigne est exem-  
plum in pacto, quod vocatur embatevicum, in l. 3. §. 4. ff. de reb. eor-  
qui sub tut. quo debitor creditori suo licentiam tribuit, in casu non  
factae solutionis, bona debitoris istius propria autoritate ingrediendi,  
juxta l. 3. Cod. de pignor. it. l. pen. Cod. de pignor. aet. Neque tale pa-  
ctum honestati aut aequitati repugnat, cum ad majorem creditoris  
securitatem & compellendum magis debitorem, ac servandam con-  
tractus fidem referatur. Ut enim nemini interdictum est, sponte  
de possessione sua cedere, eandemque in alterum transferre, ita pa-  
riter nec tale pactum, ad facilitandam talem translationem adiectum  
improbari potest. Coler. de Proc. Execut. Part. I. cap. 5.

Pariter in casibus successionum atque ultimæ voluntatis, non tantum hæredi sive ab intestato, sive ex testamento, tam directo quam fideicommissario permisum est, propria autoritate possessionem hæreditatis sibi delatae vacuam occupare Menoch. *Remed. 6.* *Adipisc. poss. num. 4.* & seqq. Verum etiam ultima voluntate recte testator concedit licentiam capiendi legatum propria autoritate, & potest tunc legatarius non expedito decreto magistratus executi illam testatoris voluntatem & capere rem sibi reliqtam. quam alias ex manu hæredis accipere debuitset. Id quod ad analogiam veteris juris inductam, quo in legatis per vindicationem reliqtis licitum erat legatario propria autoritate rem sibi legatam occupare, non expectato hærede, teste Cajo *Lib. II. Inst. tit. 5. §. 1.* Add. potest Frantz. *Exercit. Justin. Ex. VII.* *Quæst. 2.*

Speciem denique *imaginariæ* alicujus *executionis*, sine prævio processu factæ continet compensatio & omnis ex justa & legitima causa proveniens rei retentio, quo modo quis illud per modum exceptionis potest consequi, quod alias jure *actionis* petere potuisset. Vid. Schieferdegher ad *Ant. Fabr. Tr. I. & II. Quæst. 1.* & seqq.

Hujus meditationis ansam dedit Præ-Clarissimus Candidatus Dominus GEORGIUS FRIDERICUS JASTERUS, Electoralis Dicaesterii Hildesiensis Advocatus, de cuius proinde natalibus, vita ac studiis adhuc quædam, recepto more Academico, subjicienda sunt.

Natus est is Hildesiæ die sexto April. Anno millesimo sexcentesimo, nonagesimo nono. Patrem habet Virum nobilissimum ac speciosissimum Dnum Jonam Jasterum, Rei monetalis, amplissime Civitatis Hildesiensis, Præfectum. Matrem vero, Catharinam Elisabetham Harbordten, matronam, honestatis laude & rei familiaris cura insignem. Quorum utriusque Parentes avi ac proavi, in summa dignitatis officiis rei militaris ac metallariae, per continuam seculi seriem constituti fuerunt. Ab his proinde optimæ notæ ac familiæ Parentibus noster Candidatus a prima statim juventute illis pietatis principiis ac litterarum disciplinis est imbutus, quibus, pro cultura felicissimi sui ingenii, debuit. Admissus deinde ad Gymnasium Andre-

drænum, quod Hildesia hucusq[ue] florētissimum extitit, sub Epho-  
ratu Viri amplissimi ac Reverendi Dni Superintendentis, *Niecamp* bea-  
ta memoriae, & sub informatione celeberrimi Viri *Lofii*, Gymnasi  
illius Directoris, adjuncta sedula industria Dni *Panzeri*, Rectoris fide-  
lissimi, studia scholastica omni adsiduitate tractavit; Iisdemque Vi-  
ris p[ro]euentibus, postquam Gymnasio valedixisset, adhuc nonnulla  
Collegia privatissima habuit, eorundemque studio se multum profecisse  
testatur. Post h[oc] a Viro Consultissimo Dno *Borcherio*, Advocato &  
Commissario Monetario meritissimo, Cognito suo in aeternum co-  
lendo, privatissimas Lectiones ad Instituta Juris, summo cum fructu,  
se perceperit, grata recordatione memorat, & per hunc ad Studia Aca-  
demica optime fuit p[re]paratus. Inde ad Academiam Jenensem disces-  
sit, ibidemque in *Jure Nature* Nobilissimum quondam Juris Docto-  
rem *Pragmannum*, dein Celeberrimum Professorem *Lebmannum* Puf-  
endorfium de Officio Hominis & Civis explicitantem sedulo audivit.  
Porro in *Institutis* Consultissimum Dnum Dithmarum; In *Jurispruden-  
tia Struviana*, ut vocant, minori, Dnum Doctorem *Drefelium*, Virum  
Pra-Nobilissimum, Doctores ac Praeceptores fidelissimos habuit. Pa-  
riter ad Pandectas memorati *Pragmanni*; Et denique in *Philosophi-  
a scientiis* manuductione Celeberrimi Viri Dni Professoris *Rusii* usus  
fuit. Exantato ita studiorum cursu per aliquot annos, in patriam re-  
versus noster Candidatus, & per integrum annum ibi commoratus  
fuit, & ne tempus per otium transfigeret, p[re]ter repetitiones priva-  
tas Lectionum Jenensem, denuo pralaudati Dni *Borcheri* utilissi-  
ma sibi informatione ulterius profecit, eundemque *Lauterbachium*,  
annotationibus practicis illustrantem auditivit. Inde Halam petiit, &  
ibidem Doctores natus fuit, Virum illustrem Bohmerum, Regiae  
Majestatis Borussiae Consiliarium intimum, Professorem Academiae Fri-  
dericianae longe celeberrimum, cuius Scholas *Juris Canonici ad Corvinum*  
nec non ad *Juris Digestorum* multo cum fructu frequentavit. Adjunxit  
*Collegium ad Strykii Examen Juris Feudalis*, p[re]eunte Generoso ac illustri  
Viro de Ludewig, Reg. Majestatis Borussiae Consiliario intimo, Can-  
cellario & Professore laude ac gloria insigni. Denique *Juris publici* p[re]-  
cepta, p[re]eunte Dno Gundlingio, pariter Regiae Majestatis Borussi-  
ea Consiliario intimo, & Professore celeberrimo, ad *Coeceji Jurispru-  
dentiam* percepit. Absoluto ita feliciter studiorum suorum cursu,  
noster Candidatus rursus in patriam rediit, & ibidem in *Praxi institu-  
tus* fuit a beatæ memorie Pra-Nobilissimo Viro Dno D. Martino Schra-  
dero;

dero, tunc temporis Syndico Hildesiensi & Assessore Judicij Aulici Zellensis gravissimo; Ejusdemque institutiones practicas, optimo successu in sua patria prosecutus est, manum ipsam adinovendo, ac in foro quotidie versando, consulendo pariter atque advocando partibus adsistens. Post hæc, per aliquod tempus, in Residentia Episcopali Eutinensi, nec non in Civitate Goslariensi substitutus, ibideinde variis negotiis tum publicis tum privatis interfuit, suamque industriam & ingenii capacitatem exercuit; in primis stylum forensem Judiciorum metallicorum in illis locis usitatum inspiciens. Per ideam etiam tempus Matriculae Kiloniensis inscriptus, semper propenso quadam affectu Academiam nostram in oculis habuit. Repetit deinde patrios Lares, totumque se Vitæ practicae addixit, causasque forenses felici pertractavit successu. Hisce proinde præmunitus noster Candidatus dignissimus, nostram adiit Facultatem, modeste expetens, præmium sua diligentiae, & publicum eruditionis ornamentum. Inde ad conuentu examina admisitus se dignum insula doctorali probavit. Atque idcirco ad diem 2. Aug. a. c. sub præsidio meo Disputationem inaugurealem de *Appellatione ab executione rei judicata* publice ventilandam proponet. Quem actum solennem, ut Magnificus Dnus Pro-Rector, Dn Pro-Cancellarius; Perillustres ac generosissimi Macenates ac Patroni, Proceres Academiæ conjunctissimi, omnesque Cives Academicæ ac litterarum fautores, nec non flos studiosæ Juventutis sua præsentia splendidiorem reddere velint, omni observantiaz cultu obnixe rogo. P. P. Kilon. die 27. Jul. M DCC XXVII.



**ULB Halle**  
004 367 324

3







49 26  
1727,5

ORDINIS JVRIDICI  
IN  
ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA  
b. t. DECANVS

# FRIDRICH GOTTLIEB STRUVE, D.

REGIÆ CELSITUDINIS SLESVICO HOLSATICÆ CONSILIA-  
RIVS, JVRIS CANONICI, PANDECTARVM AC PRAXEOS  
PROFESSOR ORDINARIUS,

DISPVTACTIONEM IN AVGVRALEM  
VIRI PRÆNOMILLISSIMI AC CONSULTISSIMI  
GEORGII FRIDERICI JASTERI,  
ELECTORALIS DICASTERII HILDESIENSIS  
ADVOCATI,

DE  
**APPELLATIONE AB EXE-  
CVTIONE REI JVDICATAE**

PRO GRADU DOCTORALI ET SVMMIS IN  
VTROQVE JVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
OBTINENDIS

AD DIEM II. AVGUST. ANNO M DCC XXXVII.  
HORIS LOCO QVE CONVENTIS  
SOLENNITER HABENDAM  
PRAEVIA DECENTI, INVITATIONE INDICIT.  
*de executione itra prosequuntur.*

KILONII,  
LITTERIS JO. CHRISTOPHORI REVTHERI, ACAD. TYPogr.